

1835

C O D I C E S

1836

tis *Michaeli* illi factum est. Alterius, quae dispensat cum Vidua contra votum ad secundas Nuptias digressa, initium est: *Ex parte dilecte nobis in Christo N. Wyenne commorantis &c.* et inscriptio: *Johanni diuinorum socio parochialis ecclesie sancti Stephani &c.* Nescio, an inter impressas Epistola.

DCCLXIII.

- R. 25 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 255. f. currente calamo per duas columnas exaratus, et minio pernotatus continet: I. *Quaestiones VII. de Indulgentiis*, quarum prima infit: *Primo ergo quero Vtrum indulgentie tantum valeant quantum sonant. Ante responsum ad questum sciendum est. Primo dico quot indulgentie nichil aliud sunt nisi thesaurus ecclesie &c.* Ad quendam Magistrorum *Viennensium* referendas putem, et fortasse *Henricum de Hassia*, cujus Opusculum de *Ecclesiae Clavibus et Indulgentiis* memorat *Petresus in Bibl. Carthus.* p. 131. quamvis perperam ad *Henricum de Hassia juniorem* referat.
- II. fol. 8. sequuntur *Quaestiones de Angelis* pariter scholasticae, hoc initio: *Hic queri solet quam sapientiam habuerint ante casum &c.* Eundem, ut videtur, autorem habent, sed sine mutilae sunt.
- III. fol. 11. praevio *Indice*, nullis tamen inscriptionibus praenotati succedunt *Sermones de Tempore per totum annum*, a prima nempe *Dominica Adventus* usque ad *XXV.* post *Trinit.* In sola cal-

ce legas: *Explicit jacobus de tempore.* Hinc intelliges *Jacobum de Voragine (Varaze)* ex O. P. eventum ad infulas *Januenses*, et humanis exemptum a. 1298. qui praeter famosam illam *Legendam auream*, sive *Lombardicam* Sermones etiam *Quadragesimales*, de SS. et nostros praesentes reliquit. Adi de eo, ejusque Operibus *Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 454.* Sermones pluries typis excusi sunt. Contuli editioni *Venetae* 1579. 8. Codicem, eique deesse deprehendi ad fol. 141. Sermonem III. de *Pentecoste*, et subsequos III. de *sancta Trinitate*, qui in edit. decurrunt a fol. 179. (lege 197.) ad fol. 208. At vero in compensationem Codex a fol. 247. Sermones exhibet IX. qui in edit. desunt, et ad *Ascensionem Domini*, *Pentecosten*, *Trinitatisque* mysterium pertinent. Eorum porro initia haec sunt: I. *Qui descendit ipse est, qui ascendit super omnes celos &c.* II. *Psallite Deo qui ascendit super celum celi &c.* III. *Repleti sunt omnes spiritu sancto &c.* IV. *Ignem veni mittere in terram &c.* V. *De excelso misit ignem in ossibus meis &c.* VI. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit &c.* VII. *Cor mundum crea in me Deus &c.* VIII. *Benedicat nos Deus, Deus noster &c.* IX. *O altitudo divitiarum sapientie et scientie dei &c.* Qui Sermones omnes habentur inter *Sermones de Sanctis* eadem forma a. 1573. *Venetis* excusos.

DCCLXIV.